

regula, et valida est electio digni facta a parte minori, ut amplius declarabitur infra, n. 251 et 260. Eademque regula quamdam patitur limitationem tunc, quando electio concurret cum postulatione; ita ut una pars capitularium eligat certam personam, altera vero postulet aliam personam: ad cujus clariorem declarationem,

153. *Quot vota sufficiant ad valorem electionis, quando hæc concurret cum postulatione.* — Quæritur IV. Qualis numerus votorum, seu suffragiorum capitularium, sufficiat ad valorem electionis, quando hæc concurret cum postulatione? Resp. I. Si in concursu electionis cum postulatione numerus postulantium est duplo major, ipseque postulatus existit idoneus, tunc rejecta electione admittitur postulatio. Textus est: in c. *Scriptum est*, § *Et si partes*, 40, h. t. juncto Summario, et doctoribus ibidem. Ratio est, quia, licet postulatio innitatur gratiæ, c. *Bonæ memoriæ*, 3, de *Postulat. prælat.*, ac proinde etiam in hoc casu superior possit eam rejicere, si non velit dispensative gratiam facere, ut inquit Abbas, in cit. c. *Scriptum est*, n. 14; nihilominus, cum in duabus partibus potentia capitularis, seu universitatis consistat, arg. l. *Nulli*, et l. *Plane*, ff. *Quod cujusque universit. nomin.*, merito tunc admittitur postulatio personæ cæteroquin idoneæ, rejecta electione, utpote quæ destituta est tali potentia capitulari.

154. *Valet tunc electio a minori parte celebrata, dummodo hæc superet unam tertiam omnium suffragantium.* Idque novissime observatum est, in facti contingentia. — Resp. II. Quod si vero in concursu electionis cum postulatione numerus postulantium non sit duplo major, tunc rejecta postulatione electio ab alia parte, quamvis minori, celebrata valet, et confirmari debet, dummodo hæc pars eligentium superet unam tertiam omnium suffragantium, saltem per unicum votum, simulque electus sit idoneus. Ita Innocentius, et post ipsum Abbas, in d. c. *Scriptum est*, num. 13 et 14, h. t.; ac Barbosa, ibid., n. 1; Hostiensis, in Summa, de *Postulat. prælat.*, num. 13, § fin., et alii; fuitque novissime observatum in electione Coloniensis archiepiscopi 1688, celebrata, in qua, cum serenissimus et reverendissimus Princeps, ac doctissimus Josephus Clemens, e ducibus Bavarie, episcopus Frisingensis, et Ratisbonensis, etc., etc. (obtentio prius eligibilitatis suæ indulto apostolico) ex convenientibus viginti quatuor capitularibus, per novem vota electus fuisset in archie-

piscopum Coloniensem: ejusdem electio per Sedem apostolicam confirmata fuit sub die 20 septembris, dicto anno 1688, haud obstante concursu postulationis, per quam F. episcopus Argentinensis, tredecim votis (nam residua duo vota dispersa erant) ad memoratum archiepiscopatum postulatus fuisset, quæque post non modicam desuper agitatam controversiam per Sedem præfatam fuit repulsa.

155. *Atque probatur ex Scriptum est, h. t.* — Conclusio hæc fundatur in cit. c. *Scriptum est*, 40, h. t., ubi in concursu postulationis cum electione, Pontifex sic procedendum esse decrevit. Primo, ut rejecta electione admittatur postulatio, si postulantium numerus duplo fuerit major (ut puta, si ex triginta capitularibus, viginti postularint, sicque decem solummodo stent pro electione, prout explicat Abbas, ibid., n. 7), dummodo postulatus idoneus existat. Deinde, § *Quod si*, illico statuit oppositum esse observandum, quando postulantium numerus non reperiretur duplo major, sicque eligentes excederent unam tertiam saltem per votum, illis verbis: « Quod si ad faciendum duplo majorem numerum, simul omnes prædicti (*postulantes*) minime sufficerent; sive dignus, sive indignus fuerit postulatus, tu postulatione repulsa, electionem plebani auctoritate nostra confirmes. » Hæc Pontifex.

156. *Alia ratio, cur tunc præferatur electio postulationi. Et solvuntur contraria.* — Nec obstat, c. *Quia propter*, h. t., ubi concilium generale statuit invalidam esse electionem, quæ non est facta a majori et saniori parte capituli: juncto cap. 1, de *his que fiunt a major. part. capit.*, cum concordantiis. Resp. enim ista procedere regulariter, pati tamen limitationem in casu isto speciali, quo electio concurret cum postulatione, simulque ea facta est a majori parte, quam una tertia: quia tunc regula illa non procedit, ut inquit Innocentius, atque desumitur ex allegato textu juris satis aperto. Et ratio specialitatis esse videtur, quam affert Abbas, loc. cit. n. 14, vers. *Secundus casus*; tum quia non datis duabus partibus postulantium, non reperitur ibi potentia capitularis, sed aliquid de ea reperitur ex parte eligentium per vota unam tertiam excedentia; tum quia postulatio est via extraordinaria, et semper circa personam de jure inhabilem, et dispensatione gratiose impertienda indigentem: electio autem est via ordinaria, et per quam Ecclesiæ providetur modo, quo fieri potest meliori, consen-

tiendo videlicet in electum tanquam in sponsum, quia etiam de jure habilis est, nullaque indigens dispensatione ad eam acceptandam. Unde non mirum, quod in tali casu, ob favorem etiam ipsarum Ecclesiarum, ne scilicet diutius maneat viduatæ pastore, jura statuerint, ut præferatur electio ab eligentibus ultra unam saltem tertiam celebrata, dum cæteri infra duas tertias arripuerunt viam extraordinariam postulationis, atque in ea perstiterunt.

157. *Decretalis, Scriptum est, h. t., continet ius commune.* — Neque ulterius obstat doctrina Glossæ, in cit. c. *Scriptum est*, vers. *Confirmes*. Passerini, cap. xxiv, de *Election.*, n. 58, et quorundam aliorum, qui asserunt sæpe citatam decretalem non continere jus commune; sed fuisse speciale provisionem de consensu partium olim factam, eo quod atraque pars tunc juri suo renuntiaverit, et tam electionem, quam postulationem superioris arbitrio submiserit; ut colligitur, (inquiunt) ex verbis ibidem præcedentibus: « Si partes consenserint. » Nam contra est; quia, ut argumentatur Abbas, loc. cit., n. 13, compilatio juris canonici facta fuit « rescatis superfluis, » prout loquitur Pontifex in *proemio ad quinque libros Decretalium*: sed si dictum capitulum non contineret jus commune, atque observandum in aliis similibus casibus, id non verificaretur, quinimo totum hoc capitulum utpote pro illo speciali casu dumtaxat providens, foret superfluum; ergo. Et hinc, subjungit Abbas, doctores sequuntur dictum Innocentii, ut hæc Decretalis contineat jus hodie observandum in similibus casibus.

158. *Explicatur clausula ejus: « Si partes consenserint. »* — Nec urget clausula illa, « Si partes consenserint. » Hæc quippe verba neutiquam probant Glossæ intentionem, sed referuntur solum ad decisionem, seu definitionem causæ, quam Pontifex non absolute, sed solum sub conditione consensus partium demandaverat Maximo notario suo (hoc est, proto-notario) ad quem Decretalis illa dirigebatur: duo quippe eidem Papa injunxerat, unum absolute, ut videlicet diligentissime inquireret de meritis electi, et postulati, atque toto electionis seu postulationis processu; et hæc erat prima pars commissionis: alterum conditionate, ut nempe post acceptam sufficientem de omnibus informationem, ac præsertim, an constaret de mutuo convenisse consensu, quod ad electionem admitterentur septem præpositi, et quidam alii extranei

(nam hoc factum esse, una pars affirmabat, altera negabat), ipsemet ad causæ illius decisionem procederet, sententiamque ferret juxta formam ibidem sibi præscriptam, si tamen partes consenserint, videlicet in ipsum ut judicem, prout ibidem explicat Layman, *In casu*: sive, ut is veluti commissarius, ac judex delegatus Papæ, posset procedere in decisione causæ, ac sententiam definitivam proferre, ut inquit Abbas, ibid. *In casu*. Ad hoc quippe Pontifex requisivit consensum partium: et si hæc noluisent consentire in decisionem causæ a Maximo proto-notario faciendam, hic post peractam inquisitionem, ut supra, debuisset totam causam sufficienter instructam remittere ad Sedem apostolicam, ejusdem judicio postea decidendam; prout in simili contigisse, in c. *Dudum*, 22, h. t., refert ibidem Glossa, *In casu*. Ac per hoc corrui totum fundamentum sententiæ oppositæ.

§ VII.

DE ILLIS, QUI ELIGERE POSSUNT, VEL NON POSSUNT.

159. *Jus eligendi, seu electio prælatorum, pertinet ad capitulum, etc., h. t.* — Quæritur I. Ad quem pertineat electio prælatorum? Resp. I. Jus eligendi, sive electio prælatorum jure communi spectat ad capitulum, collegium, sive communitatem, cujus prælatum est eligendus. Ita Hostiensis, in c. *Cum ecclesia Vulterana*, n. 9, et ibi Abbas, n. 8, et Fagnanus, n. 39, de *Election.*, aliique communiter. Idque patet ex cap. 1, et c. *Cum terra*, 14, h. t., juncto can. ult., 16, q. 7, cum similibus. Quanquam hodie per regulas Cancellariæ, et alias ordinationes, hæc potestas non nihil sit coarctata, et provisio Ecclesiarum Summo Pontifici reservata.

160. *Potest privilegio, aut consuetudine, clericis extraneis acquiri.* — Resp. II. Etsi directe, ac per se primo, jus eligendi prælatum spectato jure communi pertineat ad capitulum, seu communitatem, ut dictum: potest tamen jus eligendi acquiri clericis extraneis tum ex privilegio Papali, tum ex consuetudine legitime præscripta. Ita communis; et desumitur quoad utramque partem, ex c. *Cum dilectus*, 8, de *Consuetud.*, etc., *Cumana*, 50, h. t., ac notat Glossa, hic vers. *Abbatibus*, et vers. *Consuetudine*. Nam, quod Summus Pontifex tale privilegium concedere valeat, extra con-

troversiam est; per consuetudinem vero posse derogari juri communi, aliunde liquet.

161. *Imo et per electores ipsis communicari.* — Resp. III. Insuper possunt electores unanimi consensu facultatem eligendi, sive secum coeligendi, clericis extraneis communicare. Ita liquet, ex c. *Scriptum est*, 40, h. t., ubi ad electionem patriarchæ Constantinopolitani de mutuo canonicorum consensu fuerunt admissi septem præpositi, et quidam alii clerici extranei. Accedit ratio: quia possunt electores totam potestatem eligendi transferre in compromissarios, etiam extraneos; ut c. *Causam quæ*, 8, et c. *In causis*, 30, etc. *Quia propter*, § *Vel saltem*, 42, h. t. Ergo multo magis possunt communicare potestatem aliquibus clericis idoneis, ut secum eligant.

162. *Sed ad hoc ut requiritur unanimis omnium capitularium consensus.* — Additur notanter, « unanimi consensu. » Nam ad hoc, ut clericis extraneis possit communicari jus eligendi, requiritur consensus omnium capitularium: adeo ut uno discrepante non possit admitti extraneus ad jus coeligendi, cum ex hoc diminuatur potestas cujusque, sicque illud intersit singulorum; prout in simili dictum est supra, n. 71, de *Compromisso*. Atque pro hoc facit textus, in cit. c. *Scriptum est*, ibi: « De mutuo convenisse consensu, quod ad electionem admitterentur præpositi, » etc., ac notat ibidem Abbas, n. 3, post *Compostellanum*; Navarrus, consil. 2, de *Consuetud.*, num. 3, allegans pro hac sententia Glossam communiter receptam, in c. *Quia propter*, § *Vice omnium*.

163. *Et quod jus eligendi conveniat electoribus vi collegii.* — Deinde Passerinus, cap. III, de *Election.*, num. 34 et seqq., quoad propositum notabilem affert limitationem. Vel enim (inquit) jus eligendi convenit electoribus ex collegio ipso, uti convenit canonicis: et in hoc casu potest sustineri, quod collegium possit admittere extremum; quia tum collegium est, quod vocales instituit. Vel jus eligendi nulli convenit nisi ex concessione pontificia, qua hoc jus solum conceditur habentibus certas qualitates, v. g., quod sint de collegio eligentium, aut de corpore capituli, sive diffinitorii; et tunc electores non possunt admittere extraneum ad coeligendum; quia nemo dat, quod non habet, can. *Daibertum*, 1, q. 7, ac ipsi electores, tunc non eligunt, nisi sub conditionibus a Papa requisitis.

164. *Inhabiles ad eligendum, sunt alii a na-*

tura, alii a lege. — Quæritur II. Quinam censentur inhabiles ad eligendum, ita ut prohibeantur eligere ad prælaturas ecclesiasticas? Resp. I. Generatim loquendo aliqui prohibentur eligere a natura, alii a lege, seu sacris canonibus. Ita Greg. Tholosanus, tract. de *Electione*, cap. VII, n. 1, cum communi; et patebit amplius ex dicendis: unde

165. *A natura prohibentur eligere pupilli, vel impuberes.* — Resp. II. Natura, seu ob impedimentum naturale, prohibentur eligere pupilli, vel impuberes, cum pleno usu rationis, seu discretionem careant, c. *Ex eo quod*, 32, h. t., in 6. Neque hic attenditur, num malitia suppleat ætatem, nec ne; sicuti et in finienda tutela istud non attenditur, l. *Indecorum*, C. *Quando tutores, vel curat*, et § 1, inslit. *Quibus modis finiat. tutel.*, et notat Glossa, in cit. c. *Ex eo quod*, § *In pupillari*. Quamvis secus sit in matrimonio, c. *Puberes*, 3, de *Desponsat. impub.*, nam diversus est finis utriusque.

166. *Et furiosi, ac mente capti.* — Et ob eandem rationem, nempe ob defectum usus rationis, seu discretionis, natura prohibentur eligere furiosi, ac mente capti: ut probat Glossa ibid. § *Discretionem*. Quod intellige, quamdiu sunt in amentia, et nisi habeant lucida intervalla. Tholosan. ubi supra, cap. VIII, n. 2.

167. *A lege, seu canone prohibentur eligere: I. Excommunicati excommunicatione majori.* — Resp. III. A lege, seu sacris canonibus plures prohibentur eligere. Et I. Excommunicati excommunicatione majori; ut c. *Constitutis*, 23, de *Appellat.* et cap. 1, juncta Glossa § *Majoris. Ne Sede vacante*, in 6. Secus dicendum de excommunicato excommunicatione minori: nam is eligere non prohibetur, licet eligi non possit, c. *Si celebrat*, 10, de *Cleric. excommun. minist.* At vero electio ab excommunicato excommunicatione majori facta, ipso jure irrita est, arg. c. *Cum inter*, 16, h. t. Et loquendo de suspensis, tenet ibidem Glossa § *Cassata*: idem ergo a fortiori dicendum de excommunicatis.

168. *Num vitietur electio, si unus excommunicatus eligat cum aliis?* — Quod si quæras, an, quando unus fuit excommunicatus et eligit cum aliis, vitietur tota electio? Resp. negative; dummodo cæteri scienter non communicaverint, eidem consentiendo. Glossa un. can. *Nos in hominem*, 9, quæst. 1. Nam actus collegialiter gestus ab habilibus et inhabilibus, sustinetur propter habiles, arg. cap. ult. de

Procurat. et tradit Abbas, ibid. numer. 3, id limitans inter alia, quando universitas scienter admisit inhabilem, quem habilitare non poterat ad agendum cum eis, v. g. excommunicatum. Sic quippe in c. *Ad probandum*, 24, de *Sentent. et re judic.* cassatur, seu (ut Glossa explicat) cassa, et irrita nuntiatur sententia judicum delegatorum, eo quod unus ipsorum excommunicationis sententia esset publice innodatus: ac proinde similiter electio est invalida, quando alii scienter cum ipso in electione communicaverunt. Navarrus, consil. I, de *Election.* n. 2. Barbosa, lib. I, *Jur. Eccles. univ.* cap. XIX, n. 56, et 57 et alii.

169. *Quid de hoc dicendum post Extravag.:* Ad evitanda? — De facto tamen, sive post Extravag. *Ad evitanda*, in concilio Constantiensi a Martino V editam, istud procedit damtaxat de excommunicatis vitandis: ut sunt nominatim denunciati, atque notorii percussores clericorum. Cæterum alii excommunicati non vitandi, possunt quidem per exceptionem repellere: et si absque scandalo, vel alia de causa expelli nequeant, per capitulum fieri protestatio, quod nolint cum excommunicato in eligendo communicare, illiusque vocem nemini velle suffragari, vel nocere: qua protestatione præmissa votum ipsius non valet, nec tamen irritat electionem ejus, qui cæteroquin habet vota sufficientia. Passerinus, cap. x, de *Elect.* n. 76, et 79. Barbosa cit. n. 57, et alii. Quod si vero nullus se opponat, aut excepiat, valida est electio, neque ipsa erit cassanda: tum quia per cit. Extravag. *Ad evitanda* indulgetur omnibus fidelibus, ut non teneantur vitare excommunicatum toleratum: tum quia gesta ab excommunicato tolerato, ratione publici officii, sustinentur ab Ecclesia. Et in specie, quod electio facta, nullo reclamante, ab excommunicato tolerato sit valida, tenet Covarruvias in c. *Alma mater*, p. 1, § 1, n. 9, ac, relatis plurimis aliis, Passerinus, cit. cap. x, n. 77. Ad præcavendum tamen gravioribus incommodis, solet ante plerasque electiones, præsertim regulares, præmitti absolutio a censuris ad cautelam, in ordine ad electionem rite celebrandam; prout in simili dictum est supra, tit. de *Rescriptis*, § 2, numer. 53.

170. *II. Suspensi prohibentur eligere.* — II. A canone prohibentur eligere suspensi; ut c. *Cum dilectus*, 8, juncta Glossa § *A suspensis, de Consuetud.* et c. *Cum inter R.* 16, h. t. Idque procedit non solum de suspensis

simpliciter, videlicet tam ab officio, quam beneficio, sed etiam de suspensis ab officio tantum: quoniam nomine *Officii* intelligitur omne exercitium clericatus; ac proinde suspensus ab officio absolute (secus dicendum de suspensione ab uno officio particulari) nequit exercere officium ecclesiasticum eligendi; prout desumitur ex allegatis juribus, et tenet Glossa ubi supra, et Abbas in cit. c. *Cum dilectus*, n. 20; Barbosa ad d. c. *Cum inter R.* n. 4, h. t.; Passerinus, d. cap. x, n. 89 et 90, citans plures alios. Non tamen prohibetur eligere, qui est suspensus a beneficio tantum: quia per suspensionem a beneficio, non suspenditur quis ab officio, et actibus ad illud pertinentibus (ut est præstatio voti in electione), sed solum a jure percipiendi fructus beneficiales. Glossa c. *Cum Vintoniensis*, 25, § *Admiserunt*, et Abbas, ibid. n. 10; Suarez, tom. V, de *Censuris*, disp. 27, sect. 2, n. 34; Passerinus, loc. cit., n. 91, et seqq. et alii. Quamvis nonnulli hoc limitent, ac negent in casu, quo vox cuipiam competeret ratione illius beneficii, a quo quis est suspensus; ut Barbosa, cit. n. 4; Navarrus in *Manual.*, cap. XXVII, n. 163, vers. *Sexto*; Henriquez, et quidam alii.

171. *III. Personaliter interdicti; et qui? Electio ab inhabili celebrata, an sit valida?* — III. Prohibentur eligere personaliter interdicti: ut cit. c. *Cum inter R.* 16, h. t.; Hostiensis in *Summa*, tit. de *Elect.* num. 7; Angelus, § *Electio*, num. 8; Passerinus, cit. cap. x, num. 99; Pirhing, h. t. num. 31, et alii. Requiritur autem de facto tam in suspensis, quam interdictis, ut sint specialiter, ac expresse denunciati, juxta jam cit. Extravag. Martini V *Ad evitanda*, quam inter alios refert Navarrus, cap. XXVII *Manual.*, n. 35, et docet Passerinus, cap. x, de *Electione*, num. 130, post Castellinum, de *Election.* cap. v, num. 1; Innocent. c. *Cum Vintoniensis*, et Abbat. ibid. n. 14, de *Elect.* et alios. Siquidem ante sententiam declaratoriam super crimine admissio, et contracta privatione vocis, nemo est privandus quasi possessione juris eligendi: forsitan enim, si prius audiretur, posset quamdam prætereundam excusationem, arg. c. *Licet episcopus*, 28, de *Præbend.* in 6, et c. *Cum secundum*, 19, de *Hæretic.* in 6.

Unde nullo reclamante, si privatus voce activa eligat, valida est electio. Covarruvias, in c. *Alma mater*, p. 1, § 7, n. 9, vers. *Ideo*; Navarrus, cap. XXVII *Manual.*, n. 35; Suarez, lib. V, de *Legib.* cap. IX, n. 5; Passerinus,

cit. cap. x, n. 77, et n. 129, allegans plures alios. Facta tamen per capitulum protestatione de non admittendis inhabilibus ad electionem, si postea quis vocalium convincatur, et per sententiam iudicis declaretur ipso jure fuisse inhabilis ad eligendum, tunc isthæc sententia retrotrahitur: et quamvis electio facta a toto capitulo post talem protestationem non videtur, ubi electus aliunde habuit vota sufficientia; tamen constiterit, vel dubium sit, quod electus acquisierit vota majora vi suffragii dati per talem inhabilem, contra quem antea protestabatur, electio erit cassanda. Passerinus, cit. cap. x, n. 79 et 96, cum aliis, quos citat.

172. IV. Irregulares. — IV. Prohibentur eligere irregulares, c. *Is qui*. § fin. et ibi Ancharanus. de *Sentent. excomm.* in 6; Sylvester *ŷ. Electio*. I. § 4; Angelus, cit. n. 8; Barbosa, lib. I *Jur. Eccles. univ.*, cap. x, nu. 65, citans alios. Requiritur tamen de facto, ut et isti sint denunciati, aut per exceptionem repellantur. Pirhing, cit. num. 31; Passerinus, ubi supra, num. 106. Imo non desunt contrarium tenentes, videlicet quod irregulares non sint privati voce activa; ut vult Suarez, disp. 40, de *Censuris*. sect. 2, num. 27; Filiucius, Bonacina, et nonnulli alii; qui proinde cit. c. *Is qui*. cæteroquin satis urgens, conantur explicare de sola intelligibilitate, seu privatione vocis passivæ.

173. V. Infames infamia juris. — V. Eligere non possunt infames infamia juris. Glossa c. *Ut circa*. 4, vers. *Eligentium*. h. t. in 6; Suarez, de *Censuris*, disp. 48, sect. 3, n. 2, et alii. Siquidem infamibus prohibiti sunt actus legitimi, arg. c. *Infamibus*, de *Reg. jur.* in 6, et l. *Actus*. ff. eod. Atqui eligere, est actus legitimus, c. *Solet*. 2, § fin. de *Sent. excomm.* in 6. Verum istud procedit dumtaxat de infami sententiato, sive declarato; ut notat Hyacinth. Donatus in *Praxi rerum regular.* part. V, tract. V, qu. 20, n. 3; Passerinus, cit. cap. x, n. 143.

174. VI. Qui non sunt clerici, nec religiosi, sed laici. — VI. Eligere non possunt quoad prælaturas, et dignitates ecclesiasticas, qui non sunt clerici, vel religiosi. Siquidem laici sæculares nullo modo eligere possunt; ut can. *Nullus*. dist. 63, et c. *Sacrosancta*. 51, de *Elect.* Adeo quidem, quod electio episcopi per laicos etiam cum canonicis facta, non valeat; haud obstante consuetudine contraria, quæ dici debet potius corruptela, text. clar. c. *Massana*. 56, h. t.

175. *Solvitur instantia ex c. Quærelam, h. t.* — Nec obstat c. *Quærelam*. 24, h. t. ubi dicitur, quod ad populum de antiqua consuetudine pertinuerit electio, et quod is elegerit presbyterum ad quamdam ecclesiam. Resp. enim verbum *Electio* ibi accipi latissime, prout etiam comprehendit sub se præsentationem: nam, ut liquet ex contextu, ibi agitur de jure patronatus, cujus laici de benignitate Sedis apostolicæ sunt capaces; unde subditur: « Populus in quasi possessione præsentandi clericum existebat, quando ipsum presbyterum ad illam elegit. » Et infra: « Salva quæstione super jure patronatus. »

176. VII. Qui non sunt presentes capitulariter. — VII. Eligere nequeunt, qui non sunt presentes capitulariter in loco, ubi fit electio. Quia non possunt singuli vocales divisum, ac in suis domibus existentes, votum suum dare, sed debent esse collegialiter congregati, arg. c. *Quia propter*. 42, h. t. ibi: « Præsentibus omnibus, » et concordant dicta superius § 5, nu. 143. Et hoc adeo verum est, ut canonicus legitime absens (quamvis nullus de capitulo velit esse procurator ipsius) non possit votum suum dare per literas, text. clar. c. *Si quis justo*. § fin. h. t. in 6. An autem absens possit dare votum per procuratorem, et quid agendum sit circa capitulares infirmos § seq. dicitur.

177. VIII. Vel non constituti in ordine sacro. — VIII. Prohibentur eligere in Ecclesiis cathedralibus, vel collegiatis, vocemque in capitulo non habent, etiamsi hoc sibi ab aliis libere concedatur, qui necdum in ordine sacro, saltem subdiaconatus, sunt constituti. Patet hoc ex Clem. *Ut ii qui*. 2, de *Ætat. et qualitat. præficiend.* estque renovatum in concil. Trident. sess. 22, cap. iv, de *Reformat.*

178. *Et quid de regularibus.* — Imo id ipsum in cit. Clem. 2, extenditur ad ecclesias regulares quoad mancipatos divinis officiis: secus dicendum quoad laicos, seu conversos, ac etiam quoad moniales, ut ibidem notat Glossa vers. *Mancipati*; itemque quoad ordines militares: nam Clementina illa loquitur de regularibus, qui divinis officiis sunt mancipati, seu ad celebranda divina mysteria deputati. Imo, cum concilium Trident. loc. cit. nullam de regularibus mentionem faciat, simulque sacra congregatio concilii sub data 22 maii 1577, declaraverit, dictum decretum Tridentinum non loqui de Ecclesiis regularium: dicendum est, circa

hoc servandas esse cujuslibet ordinis laudabiles consuetudines, et statuta particularia; uti communiter tenent doctores, quos sequitur Passerinus, cit. cap. x, de *Elect.* n. 54.

179. IX. *Item privati voce activa.* — IX. Tandem generaliter loquendo prohibentur eligere, qui sunt privati voce activa; prout pro una vice privantur scienter eligentes indignum, c. *Cum in cunctis*. 7, et c. *Innotuit*. 20, h. t. cum similibus. Sicut et illi, qui per abusum potestatis sæcularis elegerunt, præter suspensionem ab officiis, et beneficiis ad triennium ipsis infligendam, ipso jure privati sunt potestate eligendi, c. *Quisquis*. 43, h. t. juncta Glossa, et doctores ibid.

180. *Alii casus. Remissive.* — Tacentur alii casus, tum ex diversis constitutionibus apostolicis, tum ex statutis particularibus locorum, aut ordinum religiosorum desumendi. Adde etiam rationabiles consuetudines locorum: nam, sicut per has potest acquiri jus eligendi, ita et vicissim potest quis per ipsas a tali jure excludi, sicque privari voce activa; idque per vulgata principia juris, ut cap. ult. de *Consuetud.* cum concordantiis.

§ VIII.

DE PROCURATORIBUS IN ELECTIONIS NEGOTIO CONSTITUENDIS, AC DE VOCALIBUS INFIRMIS, VEL SE ABSENTANTIBUS.

181. *Procurator in electionis negotio constituitur, nisi concurrant certæ conditiones.* — Quæritur I. An in electionis negotio possit constitui procurator? Resp. I. id regulariter fieri non posse, nisi concurrant certæ conditiones. Ita habetur in c. *Quia propter*. 42, § *Illud autem*. h. t. sequentibus verbis: « Illud autem penitus interdiximus, ne quis in electionis negotio procuratorem constituat, nisi sit absens in eo loco, de quo debeat advocari, justoque impedimento detentus venire non possit: super quo, si opus fuerit, fidem faciat juramento: et tunc, si voluerit, uni committat de ipso collegio vicem suam. » Hæc ibi. Concordat c. *Si quis justo*. 46, eod. in 6, quod veluti longius hic non allegatur.

182. *Nempe, ut sit absens a loco electionis.* — Resp. II. Conditiones ad hoc requisitæ, ut quis per procuratorem possit eligere, seu dare votum suum sunt sequentes. I. Ut, qui procuratorem constituit, sit absens a loco electionis: ita videlicet ut scrutatores non possint, vel saltem juxta laudabilem cujus-

libet collegii consuetudinem, non teneantur ipsum personaliter accedere pro recipiendæ suffragio. Debet autem esse absens, non quomodocumque, sed in tali loco constitutus, ex quo possit ac debeat vocari: unde si extra talem districtum (attenta præcipue cujuslibet loci consuetudine mensurandum, arg. c. *In Genesi*. 55, h. t.) sit constitutus, non habet jus constituendi procuratorem; prout desumitur ex cit. § *Illud autem*. ibi: « Nisi sit absens in eo loco, de quo debeat advocari, » Glossa c. *Si quis justo*. vers. *Detentus*. h. t. in 6. Barbosa, lib. I. *Jur. ecclesiast. univers.* cap. xix, n. 108; Passerinus, cap. x, de *Elect.*, 35 et alii.

183. *Simulque justo impedimento detentus.* — II. Conditio, ad constituendum procuratorem in negotio electionis necessaria, est: Ut absens vocalis sit justo impedimento detentus, quominus venire possit; prout liquet ex allegatis verbis cit. § *Illud autem*. Hujusmodi autem justum impedimentum, ut explicat Glossa ibid. vers. *Venire*, et Barbosa, cit. cap. xix, num. 109, cum aliis, censetur esse gravis infirmitas, timor accedendi locum electionis ob capitales inimicitias, vel insidias sibi paratas, detentio in aliquo castro, unde exire non possit, aut vocalio ad majus tribunal, et hujusmodi, dummodo impedimentum exprimat, quale sit.

184. *Et, si opus fuerit, super hoc fidem faciat juramento.* — III. Conditio est: Ut constituens procuratorem super tali impedimento, si opus fuerit, fidem faciat juramento; prout liquet ex verbis jam allegatis § *Illud autem*. Porro juramentum istud vel poterit præstare ipsemet vocalis absens, atque in instrumento procuræ de hoc constare faciens; vel ejus procurator, dummodo habeat ad hoc speciale mandatum. Et hoc posterius erit magis cautum, eo quod capitulum, si velit v. g. quia aliunde jam habet notitiam legitimi impedimenti, possit remittere tale juramentum, et sic istud non erit necessario præstandum: tum quia textus in cit. § *Illud autem*. sub conditione loquitur, dicens: « Super quo, si opus fuerit, fidem faciat juramento; » tum quia hujusmodi dispositio emanavit in favorem aliorum capitularium, unde possunt isti suo favori renuntiare. Barbosa loc. cit. n. 110, et alii.

185. *An sit necesse, ut in procuratorem eligatur unus de capitulo?* — Præter hæc tres conditiones, quæ spectato jure communi requiruntur ad constituendum procuratorem